

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

444

442

448

438

453

433

493

393

543

343

Ende

Anfang

433

navem, depictam auro et coloribus, quam vulgo Buzatorium nominant, quae aestimo latine Bucephala dicitur ab equo Alexandri Magni, qui tam insignis et dilectus Alexandro erat, ut in loco, ubi mortuus fuerat, civitatem ingentem aedificari mandaret, quam Bucephalam in sui equi honorem nominavit, ut habetur in legenda Alexandri M. et in Speculo Historiar. L. V. C. 49. Verum M. Anton. Sabellicus illam navem dualem nominat Buczentaurum, per excellentiam ad Centauros. Hanc Bucephalam adscendit praefato die dux et senatus cum patriarcha, episcopis et omni clero, et concomitantibus multis valde navibus procedunt ad mare solenni spectaculo, ut etiam dictum est P. I. Fol. 37. sub VIII. die Maji, et per totas octavas ascensionis (b) sunt feriae nundinarum, quae cum cottidianis peraguntur spectaculis, et quamquam monstruosa tunc videntur et exercentur in omnibus totius urbis vicis et plateis.

Similiter et in die corporis Christi et in receptione principum et legatorum mira videntur et in adventu classium et capitaneorum exercitus eorum et in pace facta et in confoederatione cupita inita et firmata dies gaudiorum constituunt, in quibus continue campanas pulsant et de sero ignes in turribus accendent. De die in navibus ad mare exeunt cum omni genere musicorum et cum bombardis et vela vetusta incendunt in navibus, et ita mira faciunt in solemnibus. De hoc vide in P. I. de diebus supra dictis.

Perro ad illa festa procedunt dominae Venetianae cum tanto fastu, pompa et ornatu, quod non videntur Christianorum uxores, sed Trojanorum, et ipsius Helenae et Veneris sodales.

Maturitas consulum.

Undecimo plurimum magnificat urbem hanc senatus maturitas et prudentia, qui omnia pacifice gubernant et de pace et tranquillitate suae communitatis cottidie tractant, secundum illud sapientis: ubi multa consilia, ibi multa salus. De his superius patuit.

